

assignavimus ecclesiae beati Thomae in Lipze LXXXX modios mensurae Ransteden-
sis medietatem tritici ac medietatem siliginis perpetuo percipiendos annis singulis et
habendos pro summa L marcarum argenti, quas a Rudegero praeposito ecclesiae
praenotatae videlicet beati Thomae nos recognoscimus recepisse. Volentes itaque
ecclesiae saepe dictae super praemissis plenarie praecavere praesentem litteram rei
seriem continentem conscribi ac bullae nostrae auctorabili caractere fecimus confir-
mari. Actum in praesentia eorum quorum nomina sunt subscripta. Heidenricus
maior praepositus Misnensis, Vlricus de Vriderbere, Vlricus de Pac, Heinricus mar-
scalcus et frater eius Conradus camerarius, Otto de Ilbure, Wernerus de Ertmars-
thorf. Datum Grimme anno gratiae M^o.CC^o.XXXVI^o. indictione IX^a.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Reitersiegel des Markgrafen an Fäden von rother
und weisser Seide.

No. 12. 1239. 2. Sept.

*Bischof Ekehard zu Merseburg entscheidet den langjährigen Streit zwischen dem Schottenkloster
zu Erfurt und dem Thomaskloster wegen des Sprengels der Jacobskirche.*

Ekehardus dei gratia Mersburgensis episcopus universis Christi fidelibus in
perpetuum. Inter monasterium Schothorum Erphord. ex una et ecclesiam sancti Tho-
mae apostoli Lipensem ex parte altera quaestione suborta super terminis dicti
sancti Thomae et sancti Jacobi parrochiarum Lipensium auctoritate ordinaria pro
praefata ecclesia sancti Thomae a nobis fuit sententia promulgata, et licet ab illa
non fuerit appellatum, tamen abbas dicti monasterii praepositum ecclesiae nominatae
trahere ad papale iudicium est conatus. In quo partibus expensis et laboribus fati-
gatis post multa media caedem partes nos concorditer arbitrum eligentes in altum et
in bassum nostro stare arbitrio promiserunt tali adiecta poena, ut pars, quae arbitrio
crederet renitendum et quae ratihabitionem sui capituli legitimam canonicam consue-
tudinariam et sufficientem adhiberi negligeret procurare, solvat XX marcas fini et
legalis argenti parti arbitrium observare volenti et quae ratihabitionem sui capituli
ut praedictum est accedere procurarit. Nos itaque arbitrium protulimus in hunc
modum: Nos Ekehardus Mersburgensis episcopus ab abbate Schothorum Erphord. et
praeposito sancti Thomae Lipens. arbiter electus pronunciamus statuimus arbitramur,
quod dictus abbas et monasterium suum ab impetitione praefati praepositi et ecclesiae
suae cessare debeat omnino super terminis sanctorum Thomae et Jacobi apostolorum
parrochiarum Lipensium, super quibus ad invicem litigarant. Praepositus et ecclesia
antedicti obtineant terminos, prout sibi in ordinario iudicio adiudicati fuerunt, qui
tales sunt: Curiae sive areae, quae inter orientalem partem cimiterii sancti Jacobi
saepedicti et opidum Lipzk sunt sitae. Expensarum factarum in lite et extra litem
ac interesse mentio et quaestio nulla erit. Sed si quid iuris alterutri partium super
illis competit vel competere videtur, illi renunciabunt ad invicem omnimodis, simpli-
citer, bona fide. Abbas quoque et praepositus saepedicti osculo pacis se recipient
sibi mutuo remittentes et proiicientes omnino, si quid simultatis, odii vel invidiae per